DECRETA

CONSVLTISSIMÆ FACVLTATIS IVRIS CANONICI.

Die Martis 21. & Iouis 23. Martij An. Dom. M. DC. LXII.



PARISIIS,
Excudebat DIONYSIVS LANGLÆVS,
in Monte D. Hilarij, ſub Pelicano.

M. DC. LXII.



DECRETVM CONSVLTISSIMÆ FACVLTATIS IVRIS CANONICI.

Die Martis 21. Martij An. Dom. M. DC. LXII. Horis Pomeridianis.



CONGREGATA est mandato THEODORICI BIGNON, Senatoris & Decani Facultas ſuper relatione ei facta à M. Ioanne Doujat Anteceſſore, & Syndico Facultatis quod contra Senatuſconſultum diei 6. Septemb. 1656. quo cauetur vt Theſes propugnandæ, manu Præſidiis & Syndici priùs ſubſcribantur, Senatuſconſulto 12. Martij an. 1661. confirmatum, typis mandatæ eſſent Theſes *ex cap. vt debitus 59. ẽ. de appellat.* à M. Iacobo Vincent Cadomenſi Diœceſis Bajocenſis, Præſide M. Petro Halley Anteceſſore pro Baccalaureatu propugnandæ, auſpiciis Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Domini Fr. de Neſmond Epiſcopi Bajocenſis, quarum in quartâ Sectione habebantur hæc verbâ *à Vicario Pontificis Maximi ad eumdem Pontificem Maximum, vtpote qui*

idem cum Deo , commune sibi cum nemine tribunal habet, *appellatio interponitur:* quæ verba, *idem cum Deo* , tanquam minimè necessaria, & ex quorum minùs sanâ interpretatione duriores consequentiæ deduci possent, curâ Domini actus Præsidis, vel delenda omninò, vel certè adhibito temperamento debito sic explicanda censuisset, vt nulla eius dicti in alium à mente respondentis & prauum sensum detorquendi ansa superesset, idque tam D.Hallæo die 14. huius mensis, quàm iterum candidato clariùs postridiè significasset: quódque eo vrgente Thesium impressionem ob proximum Domini Bajocensis discessum, consensisset vt interim componerentur, illásque subscriptas, sed adjecta eâ conditione quæ superiùs allata est, postridiè redditurus foret. Ab eo tempore nec sibi, nec Bidello visum eumdem candidatum, donec die Dominica 19. currentis mensis, typis excusas, nullâ correctione adhibitâ, Theses detulit, & præter morem quibus visum per vrbem distribuit. Ex quo variis interpretationibus ea verba in minùs sanum intellectum deflectentibus, nonnulli offendi cœperint. Quapropter conuentum à se quamprimum licuerit Dominum Decanum, qui & ipse propositionem prout iacebat improbare se ostenderat, remque omnem, vtpote magni momenti ad Facultatis iudicium deferendam cum ipso censuerat. Quibus relatis adjecit Decanus diem actus se inconsulto dictam, Thesesque ad se non ante allatas quàm aliis pluribus oblatæ fuissent, nec sibi exhibitam priuati examinis schedam, in quibus violatam fuisse disciplinam contendebat: Nihilominus ostensâ deinde schedâ, precibus M. Petri Halley, & Domini Episcopi Bajocensis causâ, cui Theses dicatæ essent, se Actui peragendo consensum præbuisse.

Post hæc auditis tum Syndici, tum dicti M. Petri Halley rationibus, vbi hic aulâ excessit, re in consilium missâ, Decretum est Thesim emendari debere, & in quarta sectione vel expungi omninò ea verba, vel sic reponi, *vtpote qui suum à Deo*, &c. *tribunal habet*, & sic emendatam iterum ad eosdem qui prius exemplum accepissent, à respondente, aut eius operâ deferri: alioquin Actum à Decano impediendum: vtque Facultas die Iouis disputationi destinato, ante meridiem, vel

ſtatim à meridie conueniret, vt ſi hæc concluſio executioni mandata non eſſet, quid agendum videretur: In poſterum autem ſeruanda Senatuſconſulta & ſtatuta ad diſciplinam pertinentia, ſub pœnis quæ in iis continentur, & etiam grauioribus ſi caſus ferret. Hoc vero Decretum ſtatim dicto M. Petro Halley, & candidato ſignificatum eſt, qui ei ſe ſatisfacturos polliciti ſunt, teſtati formam typorum nondum diſſolutam, ſed adhuc integram eſſe, itaque curaturos vt poſtridie ſub meridiem ſufficiens Theſium correctarum numerus Decano traderetur, cum nominibus eorum quibus denuo deferendæ eſſent, vt communi omnium curâ, quando vnus tanto oneri impar erat, ad omnes, ſi fieri poſſet, ante meridiem diei Iouis ſequentis perferrentur.

De mandato D. D. Decani, & Doctorum Conſultiſſimæ Facultatis. VACHOT.

DECRETVM CONSVLTISSIMÆ Facultatis Iuris Canonici.

Die Iouis 23. Martij.

FAcultate hora 2. poſt meridiem Congregatâ, retulit Decanus executioni mandatam non eſſe concluſionem 21. huius menſis, renunciatumque fuiſſe à M. Petro Halley atque à candidato, propter typorum confuſionem excudi intra tam breue tempus nouas theſes minimè potuiſſe, ſed paratos ſe verborum quæ in Theſi arguerentur, quæque corrigenda cenſuiſſet Facultas, interpretationem quæ Facultati videretur, afferre: addiditque ſe à Domino Bajocenſi Epiſcopo & ſcripto, & verbo rogatum aliquid temperamenti admittere aut excogitare ne diſputatio differretur, ac poſſe candidatum declarare ſe eam propoſitionem tueri nolle, & conſentire vt deleretur ex Decreto Facultatis. Ipſeque deinde Dominus Epiſcopus Comitia ingreſſus, dato ſedendi loco ad dextram De-

cani, idem temperamentum propoſuit, vt ſcilicet neque agitaretur, neque explicaretur Theſis, ſed verba quæ negotium faceſſebant expungerentur, Itaque auditis iterum Domino Halley, & candidato, remotis ipſis Decretum eſt vt in gratiam dicti Domini Epiſcopi preces ſuas interponentis, & propter eos qui inuitati iam aduenerant, & in inferiori aula actum præſtolabantur, de concluſionis dictæ diei rigore aliquid remitteretur, permitteretúrque actus celebratio, modò in ipſo eius ingreſſu candidatus recitato publicè libello cuius verba à Facultate præſcriberentur, ambiguam illam Theſium ſuarum partem retractaret, quæ pars conſentiente præſide deleretur à maiori Bidello in exemplis Theſium ei per candidatum traditis, antequam quæ ſupererant adſtantibus in ipſo actu diſtribuerentur: quorum omnium narration ſiue proceſſus verbalis fieret, à Præſide & candidato ſubſcribendus: Eaque de re certiores fierent Dominus Cancellarius, Dominus Primus Præſes, ac Domini regij fiſci triumviri: atque vt Decretum Facultatis tam huiuſce diei quàm 21. ſimul cum ſcripto perlegendo ab eod. candidato typis mandaretur & valuis Scholæ apponeretur. Caueretur denique ne in poſterum à M. Petro Halley, alióve quoquam Doctore huiuſmodi nouitates proferrentur, tum vocatis Petro Halley Præſide & candidato ſignificatum eſt ipſis à Decano Decretum Facultatis, cui ſe obtemperaturos annuerunt.

De mandato D.D. Decani, & Doctorum Conſultiſſimæ Facultatis. VACHOT.

Sequitur tenor ſcripti à M. Iac. Vincent. Baccalaureatus Candidato perlecti.

Præſules Illuſtriſſimi Illuſtriſſime Senator idémque ſapientiſſime Decane Doctores Clariſſimi, viri ornatiſſimi.

CVM ſuper relatione M. Ioan. Doujat Anteceſſoris & Syndici Facultati facta de quadam poſitione. Sect. 4.

cuius verba sunt, *à Vicario Pontificis Maximi ad eundem Pontificem Maximum vtpote qui idem cum Deo commune sibi cum nemine tribunal, habet appellatio interponitur.* Cuius propositionis verba illa *idem cum Deo* quidam putauerunt posse detorqueri in prauum sensum, & ea D. Dominus Syndicus vel deleri tanquam minimè necessaria vel certè debito temperamento adhibito explicari debere censuisset, Facultas Congregata in Comitiis die 21. huiusce mensis sub vesperam habitis decreuerit aliàs Theses typis mandandas in quibus vel omninò hæc verba delerentur, vel saltem sic reponerentur *vtpote qui suum à Deo commune cum nemine tribunal habet*, & deferendas tam Dominis Doctoribus quam cæteris viris quibus per vrbem distributæ forent, cúmque id propter breuitatem temporis & typorum confusionem minimè executioni demandari potuerit, & propter plurimorum Antistitum, & specialiter Illustrissimi D. Episcopi Bajocensis conuocationem, aliorumque clarissimorum virorum frequentiam minùs commode in alium diem hoc certamen publicum differri posse videatur; lubens assentior & acquiesco sententiæ Facultatis, vt illa verba pro non scriptis habeantur, tanquam quæ imprudenter exciderunt sed omninò deleantur neque ea tueri & defendere, quando ita Facultati visum est, ampliùs aut cupio aut debeo, *licet profiteri possim nullo me nouitatis studio hæc verba affectasse*, Rogo itaque Dominum Decanum & Facultatem, vt mecum dispensare velint, & ad certamen publicum accingi sinant propter Clarissimorum virorum præsentiam.

Processus Verbalis eorum quæ acta sunt in Scholis inferioribus eodem die 23. Martij post Comitia Facultatis peracta.

CVM Decani & Syndici cura libellus à Candidato Iacobo Vincent legendus & approbatus à Facultate traditus fuisset à Bidello eidem Iacobo Vincent descendit Decanus indutus togâ purpureâ cum cæteris Doctoribus insignia Do-

ctoratus habentibus in Aulam inferiorem ; & cum ipsis sedit in loco superiore propè Pulpitum , tum M. Petrus Halley, præfatus est se , quando ita Domino Decano , Facultati & Syndico placuerat consentire vt positio in Sectione 4. de qua actum fuerat in Comitiis Facultatis deleretur nec ea agitaretur vllatenus in disputando ; deinde iubente Decano cum Candidatus ex scripto recitauisset, quod ei præscriptum fuerat à Facultate M. Nicolaus Vachot Presbyter magnus Bidellus & Scriba sumpto calamo eam positionis partem deleuit in exemplaribus quæ ipsi tradita fuerant à Candidato, & præsentauit Illustrissimo Episcopo Bajocensi Decano & adstantibus.

VACHOT Scriba Facultatis, & maior Bidellus.

PAVLVS, minor Bidellus.